Noverint universi quod die mercurii intitulata [illegible] die nonas septembris Anno domini Millesimo Trecentesimo Tricesimo septimo Coram venerabilibus dominis Berengario de Lacerra vicario Gerunde et Bisulduni et Bernardo Geraudi baiulo et Bernardo de Rupacho judice ordinario Gerunde Comparuit Petrus de Villans clericus procurator et procuratorio nomine venera
bilis domine abbatisse monasterii sancti danielis Gerunde et conventus eiusdem prout de ipsius procuratione constat per publicum instrumentum factum viii kalendas septembris anno predicto per Arnaldum de Manso notarium Gerunde. Et proposuit coram predictis officialibus quod homines dicti monasterii sancti danielis Gerunde fuerunt mandato dictorum officialium vicarii et baiuli
pignorati et aliquibus ex eis fuerunt extorta emparata eo quod non iverant nec secuti fuerunt dictum vicarium ad hostes sive ad exercitum de Figueriis quod nuper fecerunt ne gentes extranee intrarent terram domini Regis que tunc temporis veniebant in adiutorium illustris Regis Maioricarum contra vicecomitem de Ruppebertino et
terram eiusdem. Et etiam ex eo quod pro non emisse secuti non fuerant dictum venerabilem vicarium et exercitum Gerunde contra Petrum de Aulivis (?) de Gila et quosdam eius complices qui expugnaverunt ut dicebatur mansum Cambra de [illegible] de plano Francisci Conesa (?) civis Gerunde. Proposuit etiam dictus procurator quod dicti ho
mines fuerunt pignorati iniuste et extorte fuerunt eis dicte emparas iniuste [illegible] venerabilium predictorum pro eo quod homines monasterii predicti ex privilegio seu privilegiis concessis abbatisse et conventui ac hominibus earundem erant liberi et inmunes ab omni hoste et cavalcata et omni exercitu domini Regis et officialium
eiusdem. Quo privilegio seu privilegiis usi fuerunt per longissima tempora. Exhibens dictus procurator ad fundandam intentionem suam et dicti monasterii quoddam privilegium concessum per magnificum et potentissimum dominum dominum Petrum inclite recordationis dei gratia Rege Aragonum sub hac forma. In christi nomine.
Sit notum cunctis quod nos Petrus dei gratia Rex Aragonum et Comes barchinone attendentes paupertatem monasterii sancti danielis de Gerunda et sororum ibi servientium deo et earum miseriis quibus laborant indigentia providere volentes ob remedium anime nostre et parentum nostrorum divinis precibus et laudibus deo
monasterii et abbatisse et sororibus eiusdem presentibus et futuris in perpetuum ut ab hac hora in antea nullus baiulus nullus vicarius nullusque alius homo noster vel alienus ratione exercitus vel alius cuiuslibet cavalcate aragonensium vel aliarum gentium transeuntium per partes Cathalonie terre vel maris vel ratione bovatici
monetatici [illegible] questie tolte forcie vel alicuius exactionis aut alius quolibet modo qui dici vel intelligi vel nominari possit ipsi monasterio vel abbatisse aut sororibus eiusdem presentibus vel [illegible] vel earum hominibus aut honoribus quos nunc habent vel in tempore futuro alicubi poterunt adquirere aliquid querere
audeant vel demandare unquam. Statuimus ergo cum hac carta perpetuo valitura et mandamus omnibus baiulis vicariis et aliis quibuslibet hominibus nostris vel alienis vel [illegible] in predicto monasterio sancti danielis et hominibus et feminis et possessionibus eius hinc et inde aliquid exhigere [illegible] vel ullomodo ulla oc
casione ulla ratione vel causa set ipsum monasterium et abbatissa et sorores eiusdem presentes et future et omnes homines et femine earum et honores sui sint franchi liberi quiti et inmunes ac penitus alieni per nos et omnes successores nostros ab omnibus predictis et singulis et earum qualibet solutione et demanda quod possit inde aliquo
modo plenius et utilius dici et intelligi potest ad comodum predicti monasterii et abbatisse ac sororum eiusdem presentium et futurarum. Preterea recipimus monasterium et abbatissam et sorores presentes et futuras et omnes res earum mobiles et inmobiles et se moventes ubique sub nostra [illegible] proteccione custodia et
ducatu recipientes et perpetuo statuentes mandamusque firmiter precipientes quod nullus de gente nostra confidens audeat eis vel earum quibuslibet rebus aliquod malum dampnum gravamine vel disturbium facere vel inferre quoquomodo. Mandamus itaque firmiter et districte universis baiulis et vicariis et aliis hominibus
nostris presentibus et futuris ut prefatum monasterium sancti danielis et abbatissam et sorores presentes et futuras et homines et feminas et res et possessiones earum universas tanquam nostras proprias manuteneant fideliter et deffendant et a nullo permittant in aliquo molestari omnia iura earum eis ubique illesa et illibata servantes.
Quicumque autem contra hanc cartam nostram venire presumpserit attemptaverit iram nostram et indignationem incurreret et in super [illegible] quingentorum aureorum a nobis sine aliquo remedio puniretur. Datum Tarrachone quarto idus januarii Anno dominice incarnationis Millesimo ducentesimo octavo per manum
Ferrarii notarii nostri. Signum + Petri dei gratia Regis Aragonum et comitis barchinone. Testes huius rei sunt Michael de Lusia, Jaufridus vicecomes de Ruppebertino, Guillelmus Raymundi de Montecatheno senescallus, [illegible], Dalmacius de Crexello, Enricus de Belloloco maiordomus,
[illegible] Petrus Cresta vicarius, [illegible] Latro, Petrus de Crexello, Guillelmus de Belloloco, Comes Sancius, Rodericus Lisana, Raymundus de Palacio, Bernardus de Belloloco. Signum Guillelmi dur fortis. Ego Ferrarius notarius domini Regis hoc scribi feci mandato ipsius loco die et anno prefixis. Et etiam quoddam privilegium
quondam illustrissimi domini Jacobi Regis Aragonum et aliud illustrissimi domini Alfonsi dei gratia Regis Aragonum confirmantia et corroborantia privilegium antedictum dicti domini Regis Petri. Que privilegia fuerunt et sunt Registrata in Registris Curie Gerunde. Supplicando instanter dictum venerabilem iudicem quod de predicto usu
et observantia privilegiorum antedictorum se deberet certificare et informare cum scriptoribus antiquis et cum aliis officialibus antiquis Curie Gerunde. Qua informatione et certificatione habitis supplicavit venerabilibus antedictis quod dicta privilegia et libertates concessas monasterio et hominibus predictis quod non eundo in hosti
bus cavalcatis et expedicionibus teneant et observent et dictis hominibus restituant et absolvant pignora et emparas factas eisdem occasione predicta. Qui quidem iudex instante dicto procuratore et etiam instantibus venerabilibus vicario et baiulo predictis visis et recognitis privilegiis antedictis ac diligenti certificatione
et informatione cum pluribus scriptoribus et officialibus curie Gerunde quod de usu habitis et receptis dixit et etiam declaravit dicta privilegia esse per dictos venerabiles officiales ipsis abbatisse et monialibus eiusdem et predicto monasterio et hominibus eiusdem observanda et tenenda. Et consuluit predictis venerabilibus vica
rio et baiulo quod ipsis hominibus dicta pignora restituant et dictas emparas absolvant. Qui quidem vicarius et baiulus dixerunt se paratos restituere seu restitui facere dicta pignora hominibus predictis. Et de presenti absolverunt eisdem hominibus quascumque emparas factas occasione predicta fructuum et bonorum. Que
fuerunt acta apud curiam Gerunde die et anno predictis ac presentibus testibus Bernardo de Capite (?) et Guillelmo Saldi (?) scriptoribus et Raymundo Urgellensi (?) de Gerunda. De quibus omnibus et singulis predictis dictus procurator petiit sibi fieri publicum seu publica instrumenta prout petierit per scriptorem dicte cu
rie ad habendum in futurum memoriam rei geste.

Sig+num mei Francisci [illegible] scriptoris publici curie vicarii et baiuli Gerunde regia auctoritate substituti a Petro de sancto Antonio tutore Bernardi pupilli filii et heredis Bernardi de Ceruaria (?) quondam dicte curie scriptoris publici qui predicta omnia prout ea in libro dicte curie scripta reperi in hanc publicam formam redigens scribi
feci et clausi. Et constat mihi de raso et emendato in linea vicesima prima ubi dicitur "receptis". Et in linea vicesima tercia ubi dicitur "scriptore dicte cu". Constat etiam mihi de suprapositio in linea undecima ubi dicitur "homines".

Protestis contra los officials de gerona per lo procurador de sant daniel per que hauien penyorats alguns homes de sant daniel per que no hauien seguit lo vlguer a vedar que no entras lo exercit a figueres y acert sommatent contra priuilegi a dit monastir concedit

Priuilegij Reals

736

m°709